



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Summula Casuum Conscientiæ

In Qva Agitur De Præceptis Ecclesiæ, De Officio Confessarii, Ac De
Censuris

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ Agrippinæ, 1652

Articulus III. Quænam dispositiones requirantur ex parte animæ, ad
dignam susceptionem Eucharistiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41572

ARTICVLVS III.

*Quanam dispositiones requirantur ex parte animae,
ad dignam susceptionem Eucha-
ristiae.*

RESPONDEO I. requiri statum gratiae; quia hoc est sacramentum viuorum, quod non nisi vita spiritali praedictis conferri debet. Unde accedere ad illud cum conscientia peccati mortalis, graue est peccatum mortale, eoque grauius, quo maius est peccatum cum quo acceditur.

Respondeo 2. non sufficere statum gratiae, sed praeterea requiri confessionem in eo qui peccauit mortaliter, et si per actum contritionis, extra Sacramentum iustificatus sit. Hac enim est probatio illa, quam Apostolus sumptioni Eucharistiae praemittendam docet, vt statuitur in Concil. Trident. sess. 13. cap. 7.

Unde hoc obseruandum est discrimen inter Eucharistiam, & reliqua Sacramenta, quod sumens Eucharistiam tenetur prius confiteri, si habet conscientiam peccati mortalis, accedens vero ad alia sacramenta, cum conscientia peccati mortalis, non tenetur praemittere confessionem sacramentalem, sed sufficit quod ea cum contritione suscipiat. Excipit, nisi etiam in eorum susceptione communicare debeat, vt fit in sacra ordinatione, tunc enim ratione Eucharistiae, peccati mortalis confessio praecedere debet.

Potest tamen quis habens conscientiam peccati mortalis, communicare sine confessione, iuxta Trident. loco citato quando duae circumstantiae occurrunt, altera vt sit necessitas sumendi Eucharistiam, altera vt desit confessarius. Circa hoc autem duplex difficultas tractari potest. prior ad quos casus se extendat

tendat necessitas illa communicandi, propter quam deficiente confessario licet non præmissa confessione ad Eucharistiam accedere. Posterior, in quibus scribitur censeatur non haberi copia confessarij. Verum hæc dubia commodius expenduntur sequentibus articulis.

Respondeo 3. ad omnino dignam susceptionem Eucharistia, requiri vt suscipiens doleat de peccato veniali, quod antea commisit, & in ipsa susceptione committat peccatum veniale. Ita vt venialiter peccet, tum si accedat sine vlllo dolore peccati venialis, cuius remissionem nondum obtinuit, tum maxime si in ipsa susceptione Eucharistia peccatum veniale actu perpetret, vt si motum vanæ gloriæ admittat, aut distractionem non reiiciat. Non enim negari potest, quin sit aliqualis irreuerentia erga hoc sanctissimum Sacramentum, cum ea dispositione ad illud accedere. Ac præterea quia sic accedens, ponit obicem quibusdam effectibus secundariis Eucharistia, nempe remissioni peccatorum venialium, & feruori charitatis; esto non ponat obicem augmento gratia, quod est effectus illius principalis.

Hinc autem collige, Eucharistiam per se loquendo, cum actuali attentione, & deuotione sumendam esse, vt integrum effectum in suscipiente habeat. Quod tamen non impedit, quin possit administrari Eucharistia, ei qui post vsum rationis, incidit in amentiam, si versetur in periculo mortis. Ille enim si iustus est, potest recipere augmentum gratia virtutis huius Sacramenti; si vero in peccato mortali versatur, fieri potest vt ante amentiam actum attritionis elicuerit, adeoque per susceptionem Eucharistia iustificetur. Quare si probabiliter constat amentem, vel esse iustum, vel de peccatis præteritis sufficienter doluisse, antequam incidere in amentiam, tenetur parochus ei in extremis posito Eucharistiam porrigere, modo sine periculo irreuerentia id fieri possit.

Quo loco quatuor obseruanda sunt, I. Non esse dandum.

dam Eucharistiam amentibus, si iudicio medici vsu rationis sint recuperaturi, antequam è vita excedant, sed expectandum donec delirium cessauerit.

II. Ex communi sententia non esse porrigendum Eucharistiam amentibus corpore sanis, ad seruandum præceptum Ecclesiasticum de communione Paschali, sed tantum extremè laborantibus, ne sine viatico intereant.

III. An amentes decenter communicaturi sint, posse deprehendi, si prius ad periculum faciendum, detur illis hostia non consecrata, si enim illam sine irreuerentia sumant, poterit illis Eucharistia porrigi, se, us si irreuerenter se habeant.

IV. Eos qui amentia minimè perpetua laborant, posse communicare quando lucida habent interualla; itemque semifatuos ad communionem Paschalem admitti posse.

ARTICVLVS IV.

Quanam necessitas sufficiat, ut quis defectu confessarii, non præmissa confessione peccati mortalis, ad Eucharistiam accedere possit.

RESPONDEO I. necessitatem communicandi in periculo mortis, ad seruandam præceptum Diuinum, sufficere ut defectu Sacerdotis, liceat non præmissa confessione peccati mortalis, ad Eucharistiam accedere. Vnde in eo periculo constitutus, potest cum contritione Eucharistiã à Diacono accipere.

Respondeo 2. probabile esse, etiam quando instat præceptum Ecclesiasticum communicandi in Paschate, carentem confessario, posse non præmissa confessione peccati mortalis, Eucharistiam recipere, modo probabiliter contritus sit. Si quidem tunc adest necessitas comunicandi ob præceptum Ecclesie, adeo-